



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.  
XII**

**Caesarius <Heisterbacensis>**

**Antverpiae, 1605**

De conuersione Henrici Camerarij, cap. 23.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

ita est compunctus, ita ad conuersione est accensus, ut qui prius a Domino Geuardo Abbe admonitus, conuerti noluerat, ab illa hora vt susciperetur, vix multis precibus obtineret. Talem modum suæ conuersione sæpius mihi recitauit tempore suæ probationis. Recitauit mihi & frater Bernardus monachus noster in Vilario monasterio, ad visionem similis veniæ primùm voluntatem conuertendi se concepisse.

**APOLLONIUS:** Miror quod res tam modica tam magnum salutem operatur in anima. **CÆSARIUS:** Quid de hoc miraris? Quantum ad massam, multum modica est pillula, sed quantum ad efficaciam, virtus illius est maxima; omnes corporis venas percurrit, humores soluit & ejicit, infirmum ad sanitatem conuertit. Si tanta virtus consistit in perceptione vnius corporalis pillulæ, quare mirari debes maiorem esse, & ideo maiorem, quia spiritualem, in visione vnius veniæ? Audi & aliud.

## CAPUT XXII.

**N**OBLIS adolescens dominus Adolphus, nunc Episcopus Osnaburgensis, canonicus fuerat maioris ecclesiæ in Colonia; hic cùm tempore quodam ad Campum, domum ordinis nostri venisset, & post missam ad orationem in oratorio staret, vidit quomodo monachi, tam senes quam iuuenes, ad universa currentes altaria, ad disciplinas suscipiédas nudabant dorsa sua, humiliter confitentes peccata sua: quæ visio, sicut mihi quidam eius familiaris narravit, tantum boni operata est in corde adolescentis, vt abi-re non posset, sed seculi pompam contemnens, & totū se ad Deum conuertens, ibidem manens, sacrum religio-nis habitum susciperet: in quo tantum profecit, vt non multo tempore post, tum propter nobilitatem tum propter religiositatem, in prædicta ecclesia apicem concenderet episcopalem,

## CAPUT XXIII.

**N**OSTRUM Henricum camerarium nostrum, huius conuersio talis fuit: Cùm esset clericus, & maioris ecclesiæ in Treueri canonicus, atque multis alijs

alijs ecclesiasticis stipendijs honoratus vel oneratus, tempore quodam infirmatus est: spe igitur recuperanda sanitatis, accepta secum pecunia, Coloniam descendere nauigio proposuit, vt & physicos, quorum illuc copia est, consuleret, & ex ipsa aëris mutatione aliquod remedium perciperet. Veniensque contra monasterium nostrum, loci nomen requisuit & agnouit, dicensque se velle hospitari in monasterio, pueros suos ad Abbatem pro equis, quibus ascenderet, premisit, & accepit. Eadem nocte nescio quid viderit, vel quo instinctu conuersus fuerit, manè familiā suam flentem cum naue remisit, & habitum regulariter induens nobiscum permanxit.

## CAPVT XXIIII.

**F**RATER Gerlacus sacerdos & monachus noster, propter signa vnius deuotionis, quam in quodam monacho nostro vidit, sicut mihi confessus est, primum conuersionis amorem concepit. Die quodam cum monachus ille, quem bene nosti, missam in eius parœcia celebraret, tantam secundum consuetudinem habebat gratiam lacrymarum, ut Gerlacus, qui propter ministerium ex latere stabat, eandem considerans gratiam, admirans Dominum glorificaret. Ex illa hora ita cœpit ordinem diligere, ut non quiesceret, donec unus ex ordinis personis fieret. Multa tibi adhuc possem dicere de his, qui exemplo aliorum conuersi sunt, sed breuitati studendum est. APOLLONIVS: Ex his que iam audiui, certum est alios conuerti per sermonem exhortationis, alios per virtutem orationis, nonnullos solo exemplo religionis. CÆSARIVS: Dictum est superius, adhuc alias esse causas multiplices, quæ multis occasione sunt conuersionis, scilicet infirmitatem, paupertatem, captiuitatem, notam aliquius infamiae, periculum presentis vitæ, timorem siue visionem gehennalis poenæ, solum desiderium celestis patriæ. APOLLONIVS: De his precor ut exempla subiungas. CÆSARIVS: Quod quosdam compellat infirmitas conuerti, quotidie videmus.